



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Quid sit interdictum, & quomodo diuidatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

tem dispensandi in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, neque vllas excipit. Tunc autem censetur dispensare in iure ex potestate legislatoris ipsi concessa: nam Concilium est approbatum à Papà.

16
Suspendum
in iure sim-
pliciter, ab-
soluat Epi-
scopus.

Dico Secundo: Omnis suspensio simpliciter, seu sine determinatione temporis, ob delictum in iure lata, potest tolli ab Episcopo, nisi sit expressè referuata. Est contra Nauarrum n. 162. sed est cõmunior sententia Doctorum, vt fatetur Panormitanus in cap. 2. De solutionibus. Idem dicit Glossa in Cap. *At si Clerici*, de Iudicijs. Ratio est: Nam hoc ipso, quo non est referuata, censetur concessa; sicut patet in excommunicationibus: est enim eadem ratio, cum vtraque sit censura.

Excipe
solum.

Aduerte tamen, si suspensio ita sit lata à iure, vt conditor Canonis significet expressè, velle se in pœnam delicti illam esse perpetuã, vel sine spe

venia, non posse tolli per Episcopum, sed per solum Pontificem. Excipe tamen eam, quæ orta est ex delicto occulto, & nondum ad forum contentiosum deducto, à qua potest Episcopus absolueri iuxta Concilium Tridentinum.

Dico Tertio: Suspendio lata ab homine in particulari contra aliquem, non potest tolli, nisi ab eo, qui eam infligit, vel eius successore, vel superiore. Patet ex Cap. *Pastoralis*, de Officio Ordinarij. Ratio est: quia alioquin disciplina & iurisdic-tio Ecclesiastica perturbaretur.

17
Suspendum
ab homine
absoluat
suspendens
&c.

Notandum pro conclusione huius materia: etsi in absolute non requirantur necessariò certã verba; ordinariè tamen his vtendum est: *Ab-soluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni tuorũ Ordinum, vel tui officij: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.* Vide Siluestrum num. 8.

Forma ab-
soluendi à
Suspendio-
ne.

D E

INTERDICTO.

Dividitur hæc materia in quinque Capita. Primum, *Quid sit Interdictum & quotuplex.* Secundũ, *De effectibus Interdicti qui, & quot sint.* Tertium, *De potestate Interdicti, eiusque obligatione.* Quartum, *De penis violantium Interdictum.* Quintum, *De Absolutione & suspensione Interdicti.*

CAPVT I.

Quid sit Interdictum, & quotuplex?

DVBIVM I.

Quid sit Interdictum, & quomodo diuidatur?

1
Differentia
Interdicti
ab excommu-
nicatio-
ne & Sus-
pensione.

Respondeo Primò: *Interdictum est censura Ecclesiastica, quã absolute prohibentur certa Sacramenta, officia diuina, & Ecclesiastica sepultura.* Differt autem multis modis ab Excommunicatione & Suspensione: nam non solum Clerici interdiciuntur; sed etiam Laici; nec solum nocentes, sed etiam innocentes; nec solum personarum, sed etiã loca.

2
Diuisio in
locale, &
Personale.

Respondeo Secundo: *Interdictum generatim accipitur, aliud est Locale, aliud Personale, aliud Mixtũ.* Differunt autem, quòd in *Interdicto locali*, illi omnes, qui nõ fuerint causa Interdicti, possint alibi audire diuina, suscipere Sacramenta, & sepeliri. In *Personali* autem nusquã possunt, vt patet Cap. *Si sententia*, de Sententia excommunicationis in 6. Clerici tamen, qui cum cæteris non sunt interdicti causa, possunt in *Interdicto Personali* in illis locis diuina officia obire coram omnibus non interdictis, vt docet Couarruias in Cap. *Alma*, p. 2. §. 1. n. 7. nempe ianuis clausis, vt notat Siluester.

Locale Ge-
nerale.

Dico Tertio: *Interdictum locale*, subdiuiditur in *Generale*, & *Particulare*. *Generale interdictum loci est*, quo interdicitur aliquis locus continens plura loca alia. Et tunc in nullo illorum licet diuina officia celebrare; vt quando interdicitur regnum, prouincia, diocesis, ciuitas, vel etiam parochia (etsi in hoc postremo Couarruias §. 1. num. 5. contrarium sentiat.) Nam parocia etiam alia loca sub se continere potest.

Locale par-
ticulare.

Particulare interdictum loci est, quo interdicitur locus aliquis particularis non continens in se plu-

ra loca sacra & profana: vt quando interdicitur aliqua Ecclesia; tunc enim solum interdicitur ipsamet, & Cœmeterium contiguum: vt patet ex Cap. *Si ciuitas*, de Sententia excommunicationis in 6. quare tunc extra illam licet celebrare.

Circa interdictũ generale loci, Aduerte: Dum interdicitur ciuitas, censerit etiam suburbia interdicti, etiam si fortè essent alterius diocesis. Ratio est: Nam sine illis sententia illa interdicti esset frustratoria: posset enim populus facillè adire suburbia, ibique diuina audire. Patet ex Capitulo *Si ciuitas*. Dices, In penis est stricta interpretatio adhibenda: ergo. Respondeo: Id verum esse, quando alioquin sententia non redditur frustratoria. Vide Couar. supra num. 8.

Sab inter-
dicto ciui-
tatis etiam
sunt Sub-
urbia, etsi
alterius
diocesis.

Dico Quarto: *Interdictum Personale*, similiter diuiditur in *Generale*, & *Speciale*. *Generale est*, quo interdicitur integer populus, vel vniuersitas hominum, vel collegium: & tunc si quis desinat esse de illo cœtu, desinit esse interdictus, modò causam interdicto non dederit. Ratio est: Quia tale interdictum per se primò afficit communitatem: vnde si quis incipiat esse pars illius communitatis, incipit esse interdictus.

Personale
Generale.

Notandum: *Interdicto populi*, non contineri infantes & amentes, contra Nauarrum nu. 168. Ita Couarruias 2. p. §. 4. n. 3. Ratio est, quia sunt incapaces præceptorum Ecclesiasticorum, sicut & ciuiliũ; & si intersint diuinis, actus eorum non est humanus. Continentur tamen *Interdicto loci*, sic vt non possint sepeliri in loco interdicto. Similiter, *Interdicto populi*, non continentur Clerici; nec interdicto Clericorum continetur populus; imò nec regularis, teste Angelo, *Interdictum* §. 4. & Siluestro *Interdictum* 2. §. 17. Ratio est, Quia in odiosis nomine Clericorum non veniunt Regulares, etiam si tantum Nouitij sint.

Interdicto
populi nõ
continentur
infantes nec
Clerici.

Particulare, seu speciale Interdictum persone est, quo censentur interdicti omnes illi, qui dederunt interdicto causam, quamuis generale fuerit. Deinde, quo interdicitur aliqua familia, vel aliqui nominatim, expresso nomine vel officio. Isti cum per se primò afficiantur censurã, vbiq̃ sunt interdicti, etiam si desinant esse de illa cõmunitate.

Personale
particulare

DVBIUM II.

Quale peccatum requiratur, ut possit
ferri Interdictum.

4
Quædam
Interdicta
requirunt
culpam
mortalem

Respondeo & Dico Primò: Interdictum generale vel speciale loci, aut generale personarum non potest ferri, nisi ob grauem culpam. Imò maior requiritur culpa ad tale interdictum, quam ad excommunicationem; vt docet Sotus d. 22. q. 3. a. 1. Nā est pena grauior extensiuè, cū etiā secundariò inuoluat innocentes. Vnde ob culpā hominis priuati nō potest ferri interdictum generale loci, vel personarum, vt docet Couarruias: sed debet esse culpa Domini vel Rectoris loci, cuius sunt aliquid ipsi inferiores, ita, vt si puniantur ob eius culpam, ille cenfeatur in ipsis puniri. Vide Couar. §. 1. num. 4.

Quædam
culpam venialem

Dico Secundò: Interdictum persona speciale interdum ferri potest ob culpam venialem; sicuti excommunicatio minor & suspensio. Ita Caietanus Verbo Interdictum: quamuis de hoc dubitari possit.

5
Formula
ferendi in
terdicti.

Petes: Quā formā debeat ferri interdictum.
Respondeo: Debet ferri in scriptis expressā causā particulari, sicut in alijs censuris. Vide Nauarrum num. 165. & 187.

CAPVT II.

De Effectibus Interdicti: qui,
& quot sint?

6

Tres sunt potissimū Interdicti effectus, quatenus tria per illud fidelibus prohibentur. Primum est, ne intersint diuinis officijs. Secundum, ne suscipiant, vel administrent certa quædam Sacramenta. Tertium, ne sepeliant, vel sepeliantur in loco sacro.

1. Effectus
ne intersint
diuinis.

Primum prohibetur Cap. Responso, de Sententia excommunicationis. Vbi nomine diuinorum officiorum intelliguntur illa officia, seu ministeria, quæ in Ecclesia speciatim sunt deputata alicui Ordini sacro, nec tamen sunt Sacramenta (etsi aliter sentiat Nauarrus nu. 172.) vt celebratio Missæ, solennis ministratio aquæ benedictæ, benedictio chrysmatis, calicis, templi, denique ipsa recitatio Horarum Canoniarū, præsertim eo modo, quo in Choro. Probatur hæc definitio: quia officia diuina distinguuntur à Sacramētis; pertinent enim ad diuersas pœnas Interdicti.

7
Bonifacius
2. mitigauit
ius antiquum.

Notandum est, Iure antiquo tantum licuisse tempore interdicti singulis hebdomadis facere vnū Sacrum, ad renouandum Sacramentum pro infirmis, vt patet ex Cap. Permittimus, de Sententia excommunicationis. Verum Bonifacius VIII. hoc ius valde mitigauit, vt patet ex Cap. Alma, in 6. vbi concedit, vt tempore interdicti liceat quotidie dicere Missam, & alia officia submissā voce, ianuis templi clausis, exclusis interdictis & excommunicatis, & campanis non pulsatis; exceptis diebus Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, & Pētecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus diebus officia diuina ianuis apertis celebrari possunt, pulsatis campanis.

Notabilia
aliquot circa
hanc mitigationē.

Circa quam Constitutionem, Notandum Primò: Eam loqui de Interdicto generali loci, vt ait

Glossa ibidem: vnde hæc non permittuntur in Ecclesijs specialiter interdictis, iuxta Couarruiam §. 4. num. 1.

Notandum Secundò, Dari facultatem celebrandi tantummodò in Ecclesijs, vel Monasterijs; non autem in priuatis Oratorijs, vt notat Couarruias num. 5. etsi Nauarrus num. 175. etiam in Oratorijs putet concedi.

Notandum Tertio: Tempore interdicti posse admitti omnes eos, qui sunt Clerici, vt rectè Nauarrus num. 174. saculares verò illius loci minime, nisi habeant priuilegia. Possunt etiam officia diuina eā voce recitari, quā ab vno Choro ad alterum possint exaudiri; non tamen ita clarè, vt extra Ecclesiam audiantur: Nauarrus supra.

Notandum Quarto: Non posse pulsari campanis ad Sacrum, vel ad alia officia; potest tamen ad concionem, & ad salutationem Angelicam, & ad alia huiusmodi, quæ non sunt diuina officia: Nauarrus num. 173.

Notandum Quintò: Dies Festos, quibus suspenditur Interdictum, non esse extendendos ad octauas eorū: vsus enim habet, vt post Completorium Festi interdictum redeat. Vide plura hæc de re apud Nauarrum num. 182.

Notandum Sextò: Diebus illis exemptis posse fieri sepulturam cum solemnitate, iuxta Couarruiam, & alios: quia tunc licita sunt diuina officia, propter quæ duntaxat prohiberi solet sepultura Ecclesiastica in Interdicto.

Secundum, quod prohibetur interdicto, est administratio & receptio quorundam Sacramentorū; vt patet Cap. vltimo, de sententia Excommunicationis, in 6. Vbi

8
2. Effectus,
ne certa sacramenta
administrent
vel suscipiant.

Notandum est Primò: Hæc Sacramenta tempore interdicti posse conferri: Primò, Baptismū tam adultis, quam paruulis. Secundò, Confirmationem. Tertio, Pœnitentiam & Eucharistiam moribundis; & hæc omnia publicè & solēniter, vt notat Couarruias num. 6. quia absolutè permittuntur. Quarto, post constitutionem Bonifacij potest Sacramentum Pœnitentiæ etiam sanis administrari, ijs videlicet qui non fuerint causa interdicti, nec dederint auxilium, consilium, aut fauorem. Quintò, Potest celebrari Sacramentum matrimonij, tamen absque solemnitate: ita Couarruias supra: Minister enim huius non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes.

Notandum Secundò: Sacramentum extremæ Vnctionis tempore interdicti conferri non posse, ne Clericis quidem, nisi speciale priuilegium habeant. Ita Couarruias §. 2. nu. 8. & alij. Neque etiam Sacramentum Ordinis, ne in illis quidem diebus exemptis: neque Eucharistiam, nisi per modum viatici solis moribundis.

Quæres, Vtrum saltem Clericis & Laicis, quibus permissum est cū moderatione Capitis Alma, assistere diuinis, non sit etiam concessum percipere Eucharistiam? Respondeo: Non esse permissum sine priuilegio. Ita Couar. §. 3. num. 1. & Nauar. num. 178. Nam illis diebus exemptis solum permittuntur officia diuina, quæ distinguuntur à perceptione Sacramentorum, vt supra dictum est: & colligitur ex Cap. Si sententia, in 6. Nec obstat, quod Sacerdos celebrans tunc communicet; quia solum communicat quatenus hoc est necessarium ad complementum sacrificij, seu officij diuini.

Tertium,